



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XL. S. Piatì Secliniense Collegium, in Flandria, & S. Piatì Carnutense
in Francia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

fundatum liberalissimeque dotatum est anno Christi 880. aut vt alij volunt, 888. à S. *Richarda* Scotorū Regis filia, Caroli Crassi Romanorum Imperatoris coniuge; quæ per diuortium à marito segregata, ibi vixit, mortua, & honorifico tumulo post summam arā in sublimi collocato, sepulta est. Maritus verò Carolus Crassus *Neydingi* in pago ad Danubiū sito (in quo nunc etiam monialium congregatio est à *Fursteburgensibus* Comitibus fundata) interfectus anno Domini 888. Cubat in *Augia Diuite*. Causam dissidij inter hos coniuges recitant *Regino Abbas Prumiensis* & *Cuspinianus*. Dicitur in hoc ipso cenobio adseruari pars reliquiarū S. *Lazari* à Christo resuscitati. Sic fere *Bruschius* in *Chronologia monasteriorum Germaniæ*.

CAPVT XL.

S. PIATI SECLINIENSE COLLEGIUM, in *Flandria*, & S. Piaty Carnutense in *Francia*.

Huius mentio fit lib. III. *Decretalium* de *Præsb.* cap. 17. & 18. Initia eius attribuant *B. Eligio* *Nouiomensi* ac *Tornacensi* Episcopo, qui S. Piaty Martyris corpus repperit, loculoque inclusum *Seclini* collocavit, instituto ibidem clericorum collegio. Anno autem 881. sæuiente *Normannica* persecuti-
one

one, corpus S. Piatì Carnutum in Galliam est translatum, eaque defœuiente Seclinium est reportatum. Mansit tamen pars, reliquiarum eius Carnuti, quæ ibidem hodieque in XII. Canonorum Basilica adseruatur. Hæc ex vita S. Piatì anno 1591. Duaci cum officio Ecclesiæ Tornacesis, excusa didici. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

CAPVT XLI.

MONASTERIUM SUPERIVS Ratisbonense, Germanicè Ober Munster, Virginum nobilium Canonissarum.

Monasterium Superius, sicut & Inferius, & S. Pauli in Ratisbona, nobilium Virginum hoc tempore collegia potius dicenda sunt, quàm monasteria. nulla enim regula aut voto tenentur, præter obedientiam: licet illis egredi & nubere, excepta Abbatissa, propter benedictionem. An verò hæc libertas seu licentia potius (quam sibi à quinquaginta annis, vt auctor est D. Laurentius Hochvvar) vendicarunt, quod singulæ suas distinctas domos vno muro & porta conclusas habeant, ita vt in vno refectorio & dormitorio, nec cibum capiant, nec somnum, quod ad magnam leuitatem præbet occasionem) primæ horum monasticæ institutioni conueniat, vel ipsum nomen monasterij satis declarat. Vnde apud

F

omnes